



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Litem Contagiosam Aliosque Morbos

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Cap. XXV. De S. Eutychio Patriarcha Constantinopolitano.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

quot ipse Christianos accepisset. magna sanè consolatio. præcatusque deinde qui iam credidissent incrementum ad perfectionem & incredulis conuersionem, ad Deum migravit, obtestatus necessarios suos ne peculiarem sibi locum sepulturæ compararent. nam qui uiuus nullius loci dominus vocari uoluerat, sed in alienis tamquam inquilinus & peregrinus habitans vitam transegisset, ne post mortem quidem prorsus inquilinatum sibi dedecori fore putabat, sed in sequenti inquit sæculo fama prodatur quòd Gregorius nec uiuens quidem ab alio loco cognominatus sit, & post mortem alienorum locorum fuerit inquilinus. Aurea sanè morientis sententia, & quæ à magnis Viris in exemplum trahatur summa animi submissio!

C A P. XXV.

De S. Eutychio patriarcha Constantinopolitano.

Surius 6.
Aprilis,

NE longiùs ad alium orbem peregrinari cogar; in eodem Oriente adhuc me contineo. Antequam Eutychius Patriarcha ab exilio quo innocenter à Iustiniano Imp. fuerat damnatus, Constantinopolim tamquam alter gloriosus fidei athleta Athanasius (huic enim eum comparat S. Gregorius Papa) rediret, pestis adeò crudeliter ibidem sæuiebat, ut nisi hic à Deo electus tamquam alter Phinees obstitisset, omne genus hominum atq; omnis ætas interisset. quomodo autem placatus est Deus? supplicationibus quas ipse cum Christi studioso populo adhibuit à sanctissima magna Ecclesia incipiens usque ad ædem sanctæ & immaculatæ Dominæ nostræ Dei genitricis semperque Virginis Mariæ quæ in Blachernis colitur, cui & ipsa ciuitas procurante olim magno Constantino post absolutam celebrem illam trecentorum & octodecim sanctissimorum Patrum in Nicæa vrbe Synodum à venerabil;

bili illo Episcoporum choro dedicata erat, ideoq; speciali-
ter vt supra dixi, Ciuitas Dominæ, nuncupata. Cùm igitur
supplicationes ad Christum quem ipsa Virgo de Spiritu
sancto concepit, fierent, pepercit ille populo angelumq;
cohibuit, quia ciuitatem sine intermissione percutiebat.
imitatus est hac in re (verba sunt Eustathij: vitæ illius scri-
ptoris) Dauid Prophetã, qui, cùm propter populi enume-
rationem pestis debaccharetur, dicebat ad Deum: Ego
peccaui, dem ego pœnas, isti quid peccauerunt, & post-
quam vidit angelum in area Ornam Iebusæi orauitque eũ,
imò verò Dominũ ne extēderet manũ in Ierusalẽ, exaudi-
tus est, quam ob rē & altare cōstituit in ipsa area & Domi-
no boues immolauit & placatus est, & mors sæuire desijt.

Nõne magnus ac mansuetus Euty chius offerens ratio-
nabile & incruentum sacrificium Deo idem effecit? neq;
enim aliter extentas manus demisisset nisi populi salutem
impetrasset, ab eo igitur die vsque ad beati viri vitæ finem
Christus Deus noster à populo prouocatus iram cohibuit,
ac reditus quidem ipsius primũ opus hoc fuit quo salutẽ
omnibus communem impetrauit, & flagellantem diuinæ
iustitiæ dexteram exarmauit. Sancti enim Deum iratum
eiusq; manum nos punientẽ tenent, vti fecit Iacob, Moses,
Daniel alijq; qui sunt salus & columen Reipub. Hinc Deus
populo suo vitulum adoranti iratus dicit ad Mo sen pro po-
pulo deprecantem & Deo quasi manus tenentẽ ac ligantẽ:
Dimitte me vt irascatur furor meus contra eos & deleam eos,
faciamq; te ingentem magnam. Quid est aliud, inquit S. Gre-
gor. *dimitte me,* quàm deprecandi ansam præbere? & vt
Theodoret. dicere, prohibe me. Sentẽtia enim Dei Sancto-
rum precibus frangitur, ait S. Hieron. in cap. 13. Ezech. Est
verò iam memoratus Euty chius quo cũ quæstionẽ de Re-
surrectione mortuorũ habuit D. Greg. cùm in ea ciuitate
Constantinopoli scilicet, à Pelagio Papa iã recens & inui-
tus S. R. Ecclesię diaconus ordinatus, Apocrisariũ ageret.
Cùm

Exodi 3 23

ll. moral/
14. ca. 296

Cùm enim paulò antequam in morbum incideret Euty-
chius commentarium edidisset de resurrectione carnis
quo cùm firmiter aduersus gentiles & hæreticos eam a-
strueret, ex Origenis tamen erroribus assereret fore eam
absque carne palpabili, Gregorius ipso conuento & ad-
monito post multam inter eos disputationē, interuenien-
te Tiberio Imperatore, liber ille combustus est, & Euty-
chius errorem agnouit, coram omnibus præsentibus sæpè
pellem manus suæ arripiendo, dicens: Confiteor quia om-
nes in hac carne resurgemus. Ceterùm haut valuit næuis
iste vel quantavis macula quam citò absterfit eius animæ
labefactare pulcritudinem, utpote etsi errauerit, haut ta-
men hæreticus videri potuit, quippe qui minimè superin-
duxerit cutem illam compactam squammis, scutis fusili-
bus duriorē qua hæretici pertinaces obtegi consueuerūt:
nam vbi primùm doctore & monitore Gregorio didicit
veritatem, eandem coram omnibus ad se ingredientibus,
ut iam dixi, certâ confessione professus est, ut non immeri-
tò eum Græci tamquam sanctum colant, anniuersariaque
die eiusdem natale celebrent. Hæc Baron. anno 586. insi-
nuans eum nondum Romano Martyrologio inscriptum
esse, quod cum alijs multis Græcorum sanctis ipsi commu-
ne est, habentque eandem sortem non pauci sanctorum
Belgij; non quidem deficientibus meritis, sed Romano
Pontifici Sacrorum Antistiti cui de sanctis vltimum iudi-
cium est, ijs incognitis. quod non semel deplorasse intelli-
go piæ & magnæ memoriæ Illust. Cardinalem Bellarminū
dum hîc in Belgio nostro ageret, & quale Belgium esset,
coram præsens inspiceret.

Iob. 41.

C A P.